



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmestadi[i], 1671

Cap. XXI. De Iustino Doctore & Martyre.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

CAP. XXI.

De Iustino Doctore & Martyre.

Per idem tempus, supra dictus Philosophus Christi *Iustinus*, secundum jam librum, pro nostræ religionis defensione, conscriptum, offerens Iudicibus, remunerationem linguæ fidelis & eruditæ, martyrii recepit munus, accusante eum quodam Philosopho, *Crescente* nomine, doloso proditore, & tendente ei insidias, pro eo maxime, quod sæpe cum præfatus Iustinus suis disputationibus publice confudisset. Hic antequam proprium funderet sanguinem, etiam eorum, qui ante eum martyres extiterant, certamina describit. Extant & alia ejus opuscula præclara, & magnæ eruditionis indicia, quæ enumerare longum est. Anicetus Papa Romanus sedit annis XI.

CAP. XXII.

De Egesippo, Dionysio & Hieronymo.

Interea Aniceto obeunti, *Sotter* succedit, & *Celadioni* Alexandrino Agrippinus. Tunc & supra commemoratus Dionysius, Corinthiorum Episcopus, & Irenæus, insignes habentur. Hi scribunt libros & Epistolas, erudiunt Ecclesiam & confirmant. Quorum ingenii extant adhuc monumenta. Extat hujus præfati *Dionysii Epistola* ad Athenienses perlucida, invitans ad martyrium, pro lapsos arguens; in qua & illud designat, quomodo *Dionysius Areopagites* à Paulo instructus, primus Athenis Episcopus fuerit ordinatus. Sed & *Theophilus*, quem supra